

per corpora protensis, reperiuntur sicuti in corporibus ipsis. Sed in hoc different hæ ab illis, quod illæ sint corporum propriæ, hæ vero, qualitatibus sunt alienæ. Qualitates namque non sunt quantæ, aut magnæ, aut longæ, aut latæ, aut profundæ per se, et sui natura, sed sunt tales ex accidenti, quia nimirum per corpora quæ, et quanta sunt, et magnitudinem habent, et trine sunt dimensa protenduntur. Et ergo in iis, spacium, sed alienum. Est itidem in corporibus omnibus, sed proprium.

Sed spacium esse, et esse aliquid, et trinum esse; et in corporeis, corporibusque omnibus reperiuntur, proprium, et alienum, satis est superiore sermone demonstratum. Verum non in hoc forsitan quæstio hæc versatur, an corpora in se spacium habeant. Sed in eo potius, an ullum sit aliud spacium, quam quod singulis inest corporibus. Quod scilicet nulli corpori sit proprium? Quam quæstionem in hunc modum discutiamus. Tria illa spacium longitudo, latitudo, atque profunditas, loco etiam tributa sunt, sic enim de eo, apud veteres scriptum est alicubi: “Diastemata quidem habet tria, longitudinem, latitudinem, et profunditatem, quibus terminatur corpus omne. Impossibile autem est, locum esse corpus.”

Quibus verbis, loco, tria spacium illa, tributa sunt, quæ omnia corpora terminant, et locum esse corpus, dicitur esse impossibile. Locus ergo tria spacium habet, quæ habet omne corpus, et tamen locus non est corpus. At si locus non est corpus, quid ergo est? Linea quidem nequaquam est, hæc enim unum spacium solum habet, et non tria. Quid ergo est? Nempe incorporeum quiddam, corporis dimensiones omnes habens, neque tamen corpus existens. Verum Aristoteles, qui loco tria spacium dederat, quasi oblitus fui, quod confessus prius fuerat, negavit postea. Negat enim cum ait: “Necesse est locum esse, terminum continentis corporis, quo contingit contentum.” Quo sermone superficiem ambientis corporis designat locum esse. Assertionem hanc illi contrariam, vel illam contrariam isti, uti contrarias nihili pendamus, sed veritatem rei exactissime perpendamus. Duæ sunt sententiæ, Altera, quæ asseverat, Locus tria habet intervalla. Altera, quæ ait, Locus duo habet intervalla. Utra harum verior? Certum iam factum corpus, quod locatur, tres habere distantias. Locum vero sententia priore tres itidem habere, posteriore, duas. Primo sane intuitu, cuique hominum, verisimilius videri potest, ut tres locati corporis dimensiones, in tribus loci talibus distantibus, locum habeant. Si quis contra sentiat, rationem validam, veramque afferat oportet, qua ostendat, quo pacto, tria intervalla, locentur in duobus? Deinde, quoniam assertor ille idem, inter loci conditiones posuit, locum, nec maiorem, nec minorem locato corpore esse; ut demonstret est necesse, quo nam pacto, superficies tantum, e duobus constans intervallis, corpori e tribus constanti, æqualis esse queat? Et quomodo locus, si superficies est, corpus ita locet, ut locus aliquis sit, qui corpus non locet? Non enim a superficie, profunditas locati corporis locatur. Et quo item modo corpus aliquod sit, quod maxime profunditate constat, et non sit in loco sua profunditate? Inter loci itidem conditiones hæc alia est posita, ut locus contineat locatum. Totum ne interrogo continere debet? an partem, vel partes aliquas extra relinquere. Si pars aliqua extra relinquatur, iam locus, non continet locatum, uti afferebatur. Totum ergo necesse est, ut locus, contineat locatum. Et si totum continere debet, profunditatem etiam locati, necessario continebit. At quo modo superficies, quæ locus esse dicitur, cum duas tantum habet dimensiones, longitudinem, et latitudinem, locabit longitudinem, et latitudinem, et tertiam præterea locati corporis profunditatem? Si non continet, et hæc, neque hæc locata est, neque locus continet locatum; neque locus æqualis est locato, nec locatum æquale loco est. Si vero continet, quo pacto locatum corpus seposita profunditate, ex corpore superficies evasit? Ad hæc, si in loco est id corpus, quod aliud corpus extra se habet, quod locatum ambiat, quærimus, an ambiens corpus inde moveatur, secum auferat suam superficiem, quæ locus dicitur, an vero ibi relinquat? Si relinquit, iam corpus datur sine superficie, quod cachinis subsanandum est. Sin vero secum auferat, quo modo servabitur, alia conditio illa, qua ab eodem assertore dicitur. Vult enim immobilis esse locus? Præterea quo modo immobilis erit locus, si corpus locatum ex eo